



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

Q. 7. An delectatio de sola cogitatione, seu cognitione rei graviter illicita  
est mortalis?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**

emungit, &c. & aliis non malis circumstantiis actuum malorum, qui simul quoad substantiam displicent. 3. Objectum talis delectationis non est malum.

Potest tamen consensus in ejusmodi delectationem esse culpa venialis, ratione otiositatis, curiositatis, aut similis inordinationis; imò, & mortalis ratione scandalii, vel periculi consentiendi in delectatione de ipso actu malo. Quòd si circumstantia, vel modus esset malus, non liceret de eo delectari.

Q. 6. *An licet gaudere de effectu bono secuto ex peccato?*

Resp. Per se loquendo licet, non tamen prout est à peccato: quia objectum talis gaudii non est malum, nec proinde ipsum gaudium. Sic Ecclesia gaudet de Redemptione per Christum secuta ex peccato Adami, *Felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem!*

Q. 7. *An delectatio de sola cogitatione, seu cognitione rei graviter illicita est mortalis?*

Resp. Neg. modo absit periculum consensus in objectum: quia rei malæ cognitio, quæ est objectum talis delectationis, non est secundum se mala; & Deus ipse



cognoscit omnia mala, & obscœna. Imò hæc cognitio sæpe est necessaria, vel utilis Confessario, aut Doctori. Delectatio autem specificatur à suo objecto directo, & immediato. Quare si cognitio, seu cogitatio sit vana, vel inutilis, delectatio de ea erit venialis. Si verò cognitio sit utilis, aut necessaria, delectatio de ea per se non erit culpa. S. Thom. 1. 2. q. 74. a. 8.

Hinc licet gaudere de scientia rei obscœnæ ob bonum finem, putà ad fungendum officio Confessarii, Medici. At cognitio rei obscœnæ ex affectu veniali, putà ex curiositate, etiam absente delectatione, & periculo omni, est venialis; mortalis verò, si sit ex affectu graviter inordinato, vel cum periculo gravi, aut referatur ad finem graviter malum.

## CAPUT VII.

### *De Peccatis Capitalibus.*

**N**ot. Peccata Capitalia sunt ea, quæ non solum sunt per se peccata, sed etiam radix, & causa impulsiva multorum aliorum peccatorum. Septem numerantur à Theologis post S. Gregorium, nimirum Superbia, Avaritia, Gula, Luxuria, Ira, Invidia, Acedia.

AR.